


00
A
378



Handwritten text in a cursive script, partially visible on the right edge of the page. The visible characters include 'z', 'y', and 'ic'.



8) De vulnere Cambesae Praef Jac. For.
Ludovici Sp. Aph. Cos. Brückmüller.

9) De Amentio - non alt. Woffensdorf
Enith Praef. Henr. Balth. Roth. Resp. Joh.
Andr Hofmann. Jenae habit.

10) De: ad h. Vroniam et Falviam
Praef. Joh. Fried. Hessel. Resp. Joh. Edm.
Schmidt.

Dissertationes et Tractatus
in hoc Vol. extantes.

1) De Proposaleptia Advocatorum, Bon-
dus advocatus Josephus Cruparius
Praes. Joh. Fr. Hestel. Resp. Ferd. Adam
Hermannne.

2) Actuarius Decretorum circa sententias
et decisa Praes. Gustav. Henr. Nylus
Resp. Stephan. Frid. Fairas. Lipsiae habita-

3) De admittendis et Rejiciendis proca-
vatoribus Bon dny Joseph, unicus in
Gustaviae Regis Bon. Gustav. Nylus
domy dny dny dny dny dny dny
Praes. Jo. Kath. Wencop. Resp. Jo. Henr.
Joelike.

4) De expensis de eary exceptione Bon dny
dny dny dny dny dny dny dny dny
dny dny dny dny dny dny dny dny
dny dny dny dny dny dny dny dny
Praes. Joh. Philip. Keegz
Resp. Steph. Lazer.

5) B. L. Schwendendorferi Tr. de Privilegiis
Mercatorum Bon dny dny dny dny
Privilegiis.

6) De Jure Studiosorum Bon dny dny dny
Praes. Jo. Fr. Hestel. Resp. Lud. Fr. Lentz

7) Principio Legibus solent. Praes. Georg. Ad. Stier
Resp. Joh. Jac. Hestel.

48. 7. 9
PRINCEPS
LEGIBUS SOLUTUS,

in
DISSERTATIONE ACADEMICA
SISTITUR

Quem
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ADAMI *Strubeni*

JCti Consummatissimi,
Serenissimorum DUCVM SAXO-VINARIENSIVM
Consiliarii Intimi,
Illustrissimi Regiminis ac Consistorii Saxo-Jenensis
Præsidis Eminentissimi,
Facultatis Juridicæ & Scabinatus Ordinarii meritissimi

VT ET
Curia Provincialis Assessoris Gravissimi,
Dn. Patroni & Promotoris sui, summo obser-
vantia & obsequii cultu atatem prosequendi,

IN INCLYTA SALANA

Ad diem V SEPTEMBR. M DC LXXXV.

publico Eruditorum examini subjiciet
ac defendere conabitur

JOHANNES JACOBUS *Hertel*/ JENENS.
Autor & Respondens.

JENÆ
Literis N I S I A N I S.

VIRIS
Nobilissimis, Amplissimis, Consultissi-
mis, Excellentissimo, atque Spectatis-

simis

DOMINIS
CONSULIBUS,
SYNDICO,
CAMERARIIS

AC
RELIQUIS SENATORII ORDINIS

Patribus Patriæ conscriptis

INCLYTÆ

REIPUBLICÆ JENENSIS

Moderatoribus rerum administrandarum
prudentia maximè conspicnis,

DNN. Patronis, Evergetis, & Promo-
toribus suis debito observantiæ cultu æter-
nùm suspiciendis

Exercitium hoc academicum

submissè

D. D. D.

JOHANNES JACOBUS Hertel/ Jenens. Autor.

❧:❧:❧

PROOEMIUM

REgi cuidam recens coronato Anglia cives cum gratularentur offerebant ei primò Aureum lilium & gladium, cum Lemmate: Et pace & cade Tui. Admiranda sanè fidelitatis summo Imperanti à subditis facta testificatio! Constantiam pollicebantur omnes in salutem unius: idq; non solum cum ipsos Irene bearet jucundo pacis otio; sed & cum Mavors vindice ferro mortaliū fata ultima acceleraret. Sic universi periculum subire volebant, ut unus esset securus. Sic illi perire amabant, ut hic servaretur. Secundò representabant ei Lances aureas, cum epigraphè: Tu unus plus omnibus vales. Hoc est, Tu reliquis præponderas ut præstantior, eminentior, potentior. Tu solus imperas; cuncti parent. Tu ligas omnes; nemo Te in terris. Tertio offerebant aureas claves, adjectis his verbis: Tecum & intrare & exire & manere parati. Quasi dicerent: Tuum est, recludere viam, quâ succurratur publicæ salutis; Tuum, imperio nobis Tuo commonstrare veros tramites, quibus nostrum quilibet obviam eat communi bono; Tuum prudenti regalium exercitio salvos constituere omnes; Tuum denique, Legum severitate occludere quâ ad nequitiam fenestram patefacit affectuum pronitas ac intemperantia. Ita nostrum se quilibet parabit, ut ad imperata tua paratè facienda semper sit paratus. Quarto exhibebant ei filios suos & pueros, acclamando: Et patrum & filiorum & nepotum Rex esto. Quinto faciebant serentum ex tot flosculis quot urbes erant in Angliâ & coronantes: Regem clamabant: Regno coronaris, vive! Rem ita refert Genebr. Noverat procul dubio natio Britannica, quid commodi redundet in universos æque ac singulos, si consortes alicujus societatis ductui superioris morem gerant, atque eo ipso ad finem omnes communem actiones suas dirigant. Sicut enim multo certius ad finem pervenire licet

re licet propositum. si in eligendo ad eum conducente medio cuncti inter se concordent; ita longè infelicius eum attingunt, quibus in medi electione magna est animorum dissensio. Sic illorum inceptum speratum præstat exitum; hi verò multum move ndo parum promoveat. Illi parvo negotio magnum obtinent successum; hi magno labore ne minimum habent progressum. Illis in præmium rerum gestarum cedit summa prosperitas; his in pœnam imprudentie extremum est detrimentum. Huic autem incommoditati in Republ. bene constituta optimè succurrit Majestas civilis. Hac enim cogere valet civitatis socios, ut ratum omnes habeant atque effectui dent, quod ab illa prudentis ope deliberationis decernitur ac jubetur. Sic namque Monarchâ bene imperante si populus subjectus conjunctò consensu, conjunctâ re atque opera, conjunctis denique viribus ad idem tendat, felicitas civilis ut finis omnium communis eò meliùs obtinetur. Illimitato itaque Principis regimini illa in civitate beatitudo refertur accepta. Huic enim prudenti mentis judicio scopum collineaturo, opus omnino erit, ut absolutè imperando media ad illum præparentur ac ordinentur. Limites itaque sicut non alicunde, ita nec à juris civilis constitutionibus positi sint potestati summe, si liberum ejus debeat esse exercitium. Hoc igitur penitus considerando ac consideratius perpendendo animum appuli ad præsens thema, quo PRINCEPEM LEGIBUS SOLUTUM esse pro virili deduxi. Equidem fateor, pondere demonstrationum majori, ac volitiori dicendi genere hoc expediri potuisse; sed festinationi pariter ac ingenii tenuitati dabit id Benevolus Lector, de cujus favore eò minus dubito, quò minus diffiteri possim, eo me scripsisse animo, non ut eruditi hoc ipso adjuvarentur, sed ut disputandi saltem materia præberetur.

E. N. J.



I. N. J.
De

PRINCIPE LEGIBVS SOLVTO.

Dissertatio.

Pincipem pro Imperatore, h. e. tali sub-
jecto, cui summa inhæret in imperio pote-
stas, usurpari constat ex Leg. I. princ: junct:
§. 1. ff. de Constit: Princip: Regiam quoque
Majestatem eodem titulo insigniri, ab usu
loquendi non est alienum. In Imperio nostro Romano-
Germanico Electores ac reliquos Statûs in dignitate con-
stitutos principali eo nomine indigitari omni caret dubio.
Ne autem in onomatologia indaganda justo sim prolixior,
verus ac genuinus sensus istius vocabuli in præsentî tracta-
tione hic esto, ut omnes Principes eo ipso intelligantur
quibus legum in Rep. ferendarum summa competit pote-
stas. Quod si verò quis thema nostrum ad Llatores in
omnis generis Rebuspublicis v. g. ad Optimates in statu
aristocratico, extendere voluerit, nos non refragabimur.
Lex in genere est regula actionum humanarum, obligans
ad id, quod rectum est. Quænam verò leges in rubrica hu-

A

jus

ius instituti intelligantur, declarabit ipsa tractatio. Solutus quis legibus dicitur hoc modo ut non solum quoad vim coactivam, verum etiam directivam seu regulativam liber sit ab omni obligatione, quæ ex iisdem resultat; ita ut non tantum impunè, sed & licitè fieri possit, quod legi, quâ quis solutus dicitur, alioqui contrariatur. Ante omnia verò illud deducendum esse iudico, Principem legibus non quibusvis esse solutum, ob multiplicem scilicet, quem habet, respectum: considerari enim ille potest, ut homo; Socius; & Summus Imperans.

Ut itaque de naturalibus, quæ mentibus hominum sunt inscriptæ, faciam primordium, his certè exemptos se dicere nequeunt, qui summa rerum in civitate tenent. Illæ namque ipsum Deum agnoscunt Auctorem, à quo sicut reliquæ res creatæ omnes, ita ipsi quoque summi inter cives imperantes unice dependent. Hinc actiones hi suas præscripto Superioris conformes reddant oportet, cuius imperio illimitato illi nequicquam se queunt subducere, idque confirmat L. 32. ff. de R. I. ibi: *quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt.* Neque est, quod quis Majestati civili aliquam naturalis jurismutandi facultatem velit tribuere, quæ ipsi nunquam fuit concessa, neque concedi potuit aut adhuc potest vel ab ipso ejusdem Auctore Deo, salvâ perfectione suâ morali, cum quâ certè pugnat quævis juris naturæ mutatio, utpote disponentis de actibus per se ac suâ naturâ honestis aut illicitis. Essentias namque rerum esse immutabiles, tritum est Philosophorum axioma. Huc apprimè pertinent illa Hugonis Grotii de J. B. & P. L. I. c. 1. §. 10. n. 5. ita differentis: *Nam ut esse rerum, postquam sunt & quæ sunt aliunde non pendet,*

§(3)§

pendet, ita & proprietates, quæ esse illud necessario consequuntur; talis autem est malitia quorundam actuum comparatorum ad naturam sana ratione utentem.

Progredior jam ad jus divinum, quod in Legem & Evangelium, illaque vicissim in Moralem, Ceremonialem, & Forensem dividitur. Quod præcepta Decalogi attinet, secundum ea vivere teneri eos, qui Rebus præ sunt, dubium non est ex suprâ dictis, quæ & hîc procedunt, rationibus. Nam hoc jus divinum & toti humano generi præscriptum erat, & nunquam adhuc fuit abolitum. Quod ad leges Dei ceremoniales attinet, illas cum Servatore nostro sublatas esse, patet ex variis S. Scripturæ novi Testamenti dictis, cum primis Epist. ad Coloss. II. v. 14. 16. 20. & seqq. it. ad Hebr. VIII. v. 5. seqq. De forensibus Legibus in sacris contentis literis veteris Testamenti, an & in quantum illæ hodieque obligent, cum ob angustiam temporis præsentis instituto destinati in id inquirere non licuerit, neque illud præcisè ad rem spectet, consulantur venerandi nostri Theologi. De jure tandem Evangelico notandum, quod hujus præscriptum Rerump. Præsides, animæ salutem qui curant, nequam negligere, sed ad Servatoris nostri exemplum atque doctrinam aliorumque sinceræ veritatis divinæ Præconum dogmata, quantum in ipsis est, debeant se componere.

Ab iis porrò Legibus, quæ tacito gentium consensu sunt introductæ, Principem liberum minimè pronunciaverim. Dicitur autem *jus gentium* propriè & formaliter illud, quod gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accepit; Grotius de J. B. & P. L. I. c. I. §. 14. n. I. Neque est, quod fortassis objiciatur, quæ ratione par in parem non habeat imperium, cum ad hoc requiratur superiori-

rioritas, adeoque Majestas civilis ab alterius Reip. Rectore non prohibeatur ejusmodi actus exercere, qui utilitatem gentium inter se vel maxime intervertant. Licet enim inficiari nemo possit, Regem nimis impotentem non minori jure habere & exercere Jura Majestatis & alios actus, qui alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi non possunt, ut dicit alicubi Grotius; atque alium satis potentem, indeque isti nullam esse hunc in jure suo turbandi facultatem; quoniam tamen omnium aut multorum in idem consensus ex necessitate communis finis inductus utique operatur obligationem: hinc neque licite hic aut ille summus imperans eidem se subducere poterit; neque inultum id feret, cum multi uni vel alteri vi & potentia præpolleant. Illa autem tacita quidem, sed vera gentium consensus colligitur, uti dictum, ex communi isto fini, nimirum necessitate atque utilitate, quæ neque ignota esse potest ac debet, neque sperni ob favorem proprii, quod nemo non respicit, commodi. Quinimo necessitatem finis in politicis jus facere, canon est Philosophorum usitatissimus. Atque hinc facile evincitur, communi quoque gentium jure obligari, qui summa rerum tenent.

Fundamentales denique Leges quod concernit, de his adhuc dicendum, quatenus earundem vis obligandi sese exerit in Reip. istius, ratione cujus tales sunt, Præsules. Sunt autem illæ nihil aliud, nisi regulæ conventionis seu pacti initi inter eos, qui tanquam organa Dei summæ potestatis subjectum eligunt, interque eum, in quem hæc à Deo transfertur, quibus vel circa modum imperandi quid determinatur, vel etiam in ipso subjecto imperante aliquid requiritur. Cum igitur summum Reip. Rectorem in illarum præscripta conjurare oporteat regimen suscipiendo

endo; sanè omni modo iis paria facere tenebitur: quoniam potestati circa ea, quæ dictis Legibus continentur, renunciavit, hinc illâ postea uti non poterit. Huc quoque faciunt ea, quæ habet Grotius Lib. I. cap. III. §. XVI. ibi n. 1. *Tertia observatio sit, non desinere summum esse imperium, etiam si is, qui imperaturus est, promittit aliqua subditis aut Deo, etiam talia quæ ad imperii rationem pertineant. Nec jam de observatione juris naturalis & divini, adde gentium, loquor, ad quam reges omnes tenentur, etiam si nihil promiserint, sed de regulis quibusdam, ad quas sine promisso non tenerentur. Et pergit ille n. 2. Fatendum tamen ubi id fit, arctius quodammodo reddi imperium, sive obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, sive etiam directè in ipsam facultatem. Priore specie actus contra promissum factus erit injustus, quia, ut alibi ostendimus, vera promissio jus dat ei, cui promittitur: altera autem specie erat etiam nullus defectu facultatis. Neque inde tamen sequitur, ita promittente superiorem dari aliquem; nullus enim is actus non redditur hoc casu ex vi superiore, sed ipso jure. Neque à proposito alienum est illud Bodini lib. I. de repub. c. 8. ita differentis: *Quantum ad Leges imperii attinet, cum sint cum ipsa Majestate conjunctæ, Princeps nec eas abrogare, nec iis obrogare potest. Cujusmodi est lex Salica, regni hujus firmissimum fundamentum.**

Progrediendum nunc erit ad hoc ipsum thema, quo ostenditur ac deducitur, quibus denique Legibus Princeps sive ille, in quo summa residet in civitate potestas, solutus dici possit. Legibus itaque civitatis suæ, præter fundamentales, omnibus eum omni modò liberatum esse asserere nullus dubito. Quare illis juribus, quæ ab Im-

perii Antecessoribus constituta fuere, Principem solum esse primo loco reddam demonstratum. Ad pacta autem & foedera cum aliis inita hoc minimè erit extendendum, cum sermo mihi sit de legibus subjecto populo praescriptis. Cum igitur in actu Legislationis à parte ferentis leges requiratur omnino superioritas, utpote principium aliquod vim obligandi illis superaddens; hinc ab altera parte, cui illae praescribuntur, necessaria erit quaedam inferioritas, idque ex natura correlatorum, ita scilicet ut sit, in quo vis illa obligandi terminetur. Jam ergò evincitur facillimè, in Successorem regiminis, quàm talem, nullum Antecessori competere jus ac imperandi facultatem, cum ille post hunc supremam nactus in civitate potestatem omni statim exemptus sit subjectione, quæ tamen necessariò supponitur, si alterius placita ac praescripta inducere debeant aliquam obligationem. Cum etiam summum in regimine civitatis succedenti tribuatur imperium, sic sanè absolum esset, aliquid illo superius existere, quod tamen fieret, si alterius parendi traditis necessitas ipsi incumberet. Hanc sententiam confirmat quoque Magnificus Dn. Praeses in Syntag. Jur. Civ. Exerc. II. Th. VIII. Hinc etiam illud constat, Principi haud dubiè liberum esse, leges Praecessorum quocumque mutationis genere tractandi, atque ita insuper etiam subditos vel omnes, vel aliquos illarum obligatione tum in tantum, tum etiam in totum, eximendi. Qui enim publicæ praest saluti procurandæ, eum mediis ad incolumitatem Reip. facientibus intentum esse debere, suadet ac praecipit necessitas quaedam moralis, quæ exinde ortum trahit, quod in dignitate regali vel imperatoria constitutus illi naturali societatis debito, quod est de populi, cui praeficitur, promovendis commodis, se subdu-

xerit

xerit, statum summi imperantis à Deo Majestatici imperii Auctore suscipiendo. Legibus autem bene constitutis maximam felicitatis civilis partem deberi, tradunt unanimi consensu præstantiores Politici, tum rationibus sat idoneis confisi, tum historia & experientia rerum magistra edocti. Prudentis autem Latoris officium in hoc præcipuè consistit, ut illud sedulò respiciat, an suæ civitatis Leges statui ac qualitati reip. maximè sint conformes. vid. celeberrimus Conringius Dissertat. de Ratione Status. Thef. XIX. Quoniam verò civitas aliqua pro diversitate temporis, personarum, vel alterius cujusdam circumstantiæ nunc sic, nunc aliter se habere potest; ideoque media salutis ejus tuendæ diverso quoque modo erunt mente dijudicanda atque ordinanda. Hinc itaque factum Principe haud indignum erit, si Prædecessoris sui jurium præscripta corrigendo vel penitus abolendo ad præsentem suum reip. statum incolumen vel servandum vel reddendum prudenti mentis oculo collimet. Sic etenim circa nonnullas pristinarum legum dispensando non immeritò poterit esse occupatus, si ob rationes quasdam politicas certæ conditionis personæ legis unius vel alterius vinculo solvantur, quæ antea ob universalitatem suam omnes strinxerat. Huc pertinet illud, si hujus aut illius civilium rerum consortis maxima in remp. merita vel singularis quædam subditi alicujus professio privilegiorum concessionem svadeant, idque eâ fini, ut vel alii ad simile quid instigentur, vel vitæ generi, societati civili maximè salutari remora ne injiciatur ab eo, quod alioqui fieri lege præcipitur. Porrò si in anteriori lege quid contineatur moderno Principis regimini vel subditorum conditioni non adeo conveniens, tunc certè principali dignitati indecorum

rum

rum non erit ; illud ipsum alia lege emendare Tandem præcedentium jura Imperatorum ac Principum penitus abrogari posse , si adeo ex usu reip. amplius non sint, itidem nullam meretur dubitationem. Hæc omnia confirmat sæpe laudatus Hugo Grotius de I. B. & P. L. I. c. III. §. VII. n. 1. ubi non ineleganter ita differit : *Summa autem illa dicitur* (loquebatur §. præced. de potestate civili) *cujus actus* (sic etiam leges tanquam effectus Majestatis proprius) *alterius juri non subsunt , ita ut alterius voluntatis humana arbitrio irriti possint reddi. Alterius cum dico, ipsum excludo, qui summa potestate utitur ; cui voluntatem mutare licet, ut & successorem, qui eodem jure utitur, ac proinde eandem habet potestatem, non aliam.*

Quod autem dictum fuit, Antecessorum leges mutationi esse obnoxias, suadente id utilitate publica, hunc non habet sensum, quod obligatione quadam civili ad hoc adstrictus sit Successor, ut commodo reipub. nullo id exigente, mutationem earundem intermittat, sed ex alia ratione abstinere debet à mutatione priorum legum sine probabili causa suscipienda, ne scilicet impingat in regulas prudentiæ regnatricis. Sicut enim cives priscis legibus assueti optimè intelligunt, ac tantum non sponte faciunt, sui quod est officii; ita certè multum temporis antè præterlabitur, quàm prioribus sublatis nova jura in notitiam omnium veniant, aut cives iisdem morem gerere assuescant, incommodis exinde non paucis in remp. redundantibus. Accedit & hoc, quod levis & temere facta legum civilium mutatio illarum contemptum pariat in animis plebejorum tanti momenti eas non esse arbitrantium, sicque cura ac sollicitudine longè minori postea latis se submitunt,

mittunt, quas brevi temporis spatio existimant iri denuo sublatum. Et hæc quidem de Legibus Antecessorum imperii, in quantum neque ad earundem observationem, neque custodiam, successor civiliter est obligatus.

Jam ad illius quoque tractationem accingor, quod Princeps legibus suæ civitati à se latis nihilo secius quoad obligationem civilem sit solutus. In omni autem lege civili hæc duo à se invicem sunt discernenda, nimirum vis directiva & coactiva. Illa dicitur, quando lex consideratur tanquam regula, h. e. mensura sive signum cum determinatione ostendens ac præcipiens, quid ad vitam rectè gerendam facto opus sit, ita ut ejus præscripti neglectus sit illicitus, atque exinde quis injustus quidem dicendus, absque ullo tamen respectu ad reatum sive meritum poenæ, seu ut ejus transgressio impunè nihilominus feratur. Hæc verò est, quando actio legi contraria atque injusta simul poenam meretur à superiore infligendam. Quoad illam Principem à lege sua civili liberum pronunciari quoniam plus habet dubii proinde non immeritò rationes, quæ à nonnullis in contrariam sententiam afferuntur, examinari ac ponderari merentur. Sunt enim qui asserunt, obligationem istam ratione Principis non quidem ex vi legum intrinseca esse resultantem, sed ex principio aliquo extrinseco, quod scilicet turpis sit pars, quæ discordat à toto, sicque Lator tanquam pars civitatis, utpote caput reliquorum civium, turpiter agat, si leges non servando à toto discordet. Ast ad hanc objectionem refringendam dico, nullam exinde capiti civili imputandam turpitudinem, si à reliquis civitatis membris discordet; quæ enim major discordantia, ut ita loquar, quàm uno imperante reliquis omnibus obsequii gloriam esse

B

relictam

relictam, attamen hoc ordinationi divinæ maximè est conforme, ac proinde decorum quid ac laude dignum. Quod si verò illi intelligant istiusmodi discordantiam, quæ in se continet aliquid vitii, sic certè summus imperans nihil minus facit, quàm à toto discordat legum suarum observationem planè negligendo, sicut infrà in decisione nostræ sententiæ clarum ac perspicuum reddetur. Alii verò obligationem, Principem tenentem deducunt ex ipsa virtute atque efficacia LL. civilium, idque eò, quod ille eas transgrediendo committat idem specie peccatum cum subditis illarum transgressoribus. Verùm si de peccato civili (nam si de morali, ad obligationem civilem hoc non spectat) illis sermo est, tunc eo ipso petitur id, quod erat in principio: peccatum enim per transgressionem legum commissum præsupponit earundem obligationem, hæc autem an adsit respectu Principis, illud certè est, quod ab initio quærebatur. Unde hæc à posteriori facta illatio eò magis incerta ac fallibilis est, quò magis ipsum principium cognoscendi tanquam fundamentum istiusmodi illationis dubium est atque incertum. Et sic quasi in gyrum agitur demonstratio ista, dum per commissionem peccati probatum eunt obligationem ad legem civilem observandam, cum tamen sine certitudine hujus vis obligandi constare non possit, an lex sit transgressa, sicque peccatum civile commissum: obligatio namque antecedenter sese habet ad transgressionem legis. Hinc illi porrò procedunt, per legem civilem constitui medium necessarium virtutis, unde sequi, Principem non servando legem suam ideò peccare, quod non observet medium virtutis, ut ex Soto & aliis deducit Franciscus Suarez in tractatu suo aliàs laude digno, de Legibus ac Deo Latore L. III. c. XXXV.

n. 8. Ult

n. 8. Ut autem de isto virtutis medio obligationem civilem, juxta ipsorum opinionem, Principi inducente res fiat clarior, illud respici oportet, an sermo esse possit de virtute politica & Principis propria, quæ spectat ad officium boni imperantis; an de virtute morali, quæ facit ad perfectionem omnium hominum; an de illa virtute, secundum quam cives subditi agunt suarum quod est partium. Sed neque *ILLA* potest intelligi absque magna absurditatis nota, tum quod ante Legumlationem nosse deceat atque effectui dare regulas prudentiæ gubernatricis; tum quod ratio regnandæ reip. subditis ne quidem in notitiam venire, ne dum ab illis exerceri debeat: hoc enim postremum directò pugnaret cum subjectione & obedientia. Atque ita medium hujusmodi virtutis continere in se nequeunt leges civibus præscriptæ. Neque *ISTA*, cum Lator humanus perinde ac omnes homines, ut supra illatum fuit, ad ejus exercitium sit obstrictus nulla accedente obligatione civili. Sicque ab hac debitum illud provenire nequit. *HÆC* autem ultimo loco dicta quamvis maximopere legibus civilibus intendatur, ad Principem tamen utut sit civis, nec simul subditus, minimè spectat. Neque enim ea conveniens est ejus statui atque conditioni, subditorum namque ut talium, officium quî poterit simul continere virtutem summi imperantis?

Alii verò pro assertione sua nostræ contraria hoc utuntur ratiocinio: eâ nimirum conditione in Principem conferri à populo potestatem legislativam, ut ipse etiam vivere teneatur legibus à se latis, sicque eum ex tacita totius civitatis voluntate & ex virtuali, uti loquuntur, pacto obligari. Attamen, si veritatem rei intimius perspiciamus, concedendum non est, summam in repub. po-

testatem ab alio, nisi solo Deo, & quidem immediatè tanquam a causa sua principali dependere. Agnovit id ipsum Maximilianus I. Imperator in Recess. imper. Wormat. de anno 1495. sub tit. Reformation das heimliche Gerichte in Westphalen betreffend / s. Ehrwürdige / ib. Nachdem wir von der Gnaden Gottes zu der Höhe Römischer Königlicher Würden unverdient beruffen und kommen seyn &c. Et Carolus V. Imperator in Recess. imper. de anno 1548. in pr. ibi. Haben wir aus aufgelegtem Ampt darzu wir vom allmächtigen Gott beruffen seyn &c. Idem quoq; confirmatur ex verbis, quæ habentur in der Churfürstl. Ordnung apud Goldastum tom. 2. der Reichs-Satzungen / pag. 35. Der Keyser hat seine Gewalt ohn alle Mittel von Gott. Itaque neq; reliqua jura Majestatica, nec illud circa leges in civitate ferendas à populo in Principem transferri, ita probatur: Aut enim iste civium coetus conjunctim sumtus antea non habuit summum imperium in singulos, nullà scilicet existente Democratià; sic certum est, in alium transferri non posse, quod quis ipse non habet; aut antea habuit illud, sed saltem in singulos: nam universi in universos non habent summam potestatem, quia idem eodem modo ac respectu non potest esse simul superius & inferius. Quia verò summa potestas in unum translata competit & exercetur non solum in singulos, sed & in universos, hoc autem posteriori modo illa penes universitatem nec est, nec esse potest, uti dictum, hinc etiam eadem in unum subjectum non nisi à Deo, omnium potestatum origine & Autore potest transferri. Proinde falsissimum manet, communitatem civilem sub tacita, ista conditione potestatem legibus

bus

bus universos ligandi dedisse Latori, quam nec habuit, nec habere unquam potuit.

Denique sententiam à nostra alienam defendere fatigat prædictus Suarez d. l. n. ii. eique patrocinium præstare sequenti argumentationis genere, cujus verba huc apponere erit operæ pretium ut eò magis constet de mente sua atque intentione. *Licet, inquit, homo immediatè legem ferat, in eo actu se gerit ut minister & dispensator Dei, ut ex Paulo in superioribus attulimus; ergo intentio & voluntas Principis ferentis legem, debet conformari intentioni Dei, dantis potestatem: imò efficacia legis ad obligandum magis pendet ex intentione Dei, quàm particularis Legislatoris. Deus autem non solum ut auctor gratiæ, sed etiam ut auctor naturæ vult Legislatorem humanum non habere potestatem ad ferendas leges, nisi cum universali obligatione illarum, qua totam rempub. ut constantem ex corpore & capite comprehendat: ergo. Probat minor ex ipsa necessitate communis boni, ad quod hæc potestas ordinatur: datur enim in ædificationem non in destructionem. Quod autem ad hujusmodi bonum commune pertineat, potestatem hanc ita esse datam Principi, ut licet in voluntate ejus sit legem ferre: si tamen feratur, universalis sit & ipsum comprehendat, declarant sufficienter testimonia scripturæ, & rationes adductæ, & communis consensus non solum Patrum sed etiam Philosophorum. Hæc ille. Ardua quidem res videtur & expeditu paulò difficilior: attamen quoniam ferè totus instituti nostri nervus in istorum, quæ afferuntur, assertorum resolutione positus est, hinc virium atque ingenii periculum aliquod faciamus. Dum autem ille ait, hominem in actu Lationis se gerere ut ministrum & Dispensatorem Dei, hoc concedendum quidem est,*

est, in quantum Llator humanus non injustus ordinationi
 divinæ conformiter agit & generali Dei præcepto, (quod
 ipsi lumen naturæ revelat) de salute publica promovenda
 paria facit. At minimè eo sensu, ac si leges civiles, quæ ta-
 les sunt, omnes & singulæ à voluntate Dei positivâ depen-
 deant, deque iisdem Llator civilis sub illa ratione dispo-
 nat: Leges namque civiles, si saltem non injustæ sint, tum
 in constitutione, tum in duratione dependent à Llatoris
 humani beneplacito, sufficitque, si concurrat Dei volun-
 tas in sensu negante, h. e. cui jura illa civilia saltem non re-
 pugnant. Dicit ille porrò, efficaciam legis (civilis) ad
 obligandum magis pendere ex intentione Dei, quàm Lla-
 toris. Quod verum quidem est, ideò quod obligatio ci-
 vilis assistentiam suam habeat ex principio isto generali,
 quod præcipit, superiori justè imperanti obediendum esse,
 & tanquam lex quædam naturæ ex directâ aliqua intentio-
 ne Dei mentibus hominum inscriptum est. Quod ad sin-
 gularum autem legum civilium obligationem directò
 concurrat intentio Dei, asserere meritò dubito, aliàs enim
 leges istæ divinæ potius, quàm humanæ dicendæ essent à
 suo scilicet Autore. Ille namque dicitur Llator & Auctor,
 à cujus voluntate dependet earundem ratio formalis seu
 vis obligandi. Ille autem ulterius ita argumentatur: Qua-
 lis est intentio Dei potestatem legislatariam dantis, talis
 esse debet voluntas Principis legem ferentis. Jam verò
 Deus vult, Llatorem humanum non habere potestatem
 leges ferendi, nisi cum universali obligatione, quæ cum
 corpore civitatis caput quoque comprehendat. Probat
 quoque minorem ex ipsa necessitate communis boni, ad
 quod illa potestas ordinetur: eam namque dari in ædifica-
 tionem non destructionem. Sed nescio sanè, quò tendat
 isthæc

isthæc probatio: quasi enim bonum commune destruat, nisi obligatio legum civilium ipsum quoque Autorem suum teneat. Illud itaque non fieri mox ostendetur. Pergit ille sufficienter declarare Scripturæ testimonia, item rationes adductas, & consensum communem tum Patrum tum Philosophorum, quod scilicet ad hujusmodi bonum commune pertineat, potestatem illam ita datam esse Principi, ut leges ferre initio sit voluntatis, postea vero necessitatis ipsum quoque iisdem vivere. Ad singula verò seorsim erit respondendum. Inter dicta scripturæ sacræ, quæ n. 5. ejusdem cap. allegantur, primo loco illud apparet ex Matth. XXIII. v. 4. *Alligant onera & digito suo nolunt ea movere.* Ibi autem Christus reprehendit Scribas & Pharisæos, quod legem Dei falsò interpretati fuerint, neque ipsi vitam suam eidem gesserint conformem, uti patet ex contextu: illi enim potestatem Legislativam non habuerunt, sic sermo non potuit esse de legibus ab ipsis latis. Quod autem ad reliqua dicta attinet, quæ priori jungit, nimirum Prov. XX. v. 10. & Mich. VI. v. 11. ad rem illa non pertinent. Quod ille porrò ad rationes se refert, illæ aut adhuc desiderantur, aut jam tum ad easdem fuit responsum. Denique se remittit ad consensum communem Patrum & Philosophorum, quos plures quidem allegat num. 4. ibid. sed eodem jure autoritas tum Theologorum, tum Juristarum ac Philosophorum ipsi opponi potest.

Ut itaque me expediam, & intentionem Dei illam non esse in concessione potestatis legislativæ, signis ac indicibus quibusdam judicio rationis suffultis, nam ex revelatione divina de eâ vix puto constare, illud deducere conabor. Primò itaque notandum, debita summi imperantis
ut

ut talis & debita subditorum quæ talium, esse planè diversa ac toto genere inter se distincta, idque ex eo colligitur, quod eundem simul esse imperantem & non esse, sit è numero impossibilium: desineret enim esse imperans, quia fieret subditus, si debiti ad hunc ordinati quodque superiorem supponit, capax ille existeret. Itaque ex hac impossibilitate atque incompossibilitate (si ita loqui liceat) constare poterit de diversitate debitorum. Deinde illud quoque observandum, finem legum civilium proximum maximeque proprium esse, ut subditi sciant & agant, quod sui officii est ac debiti erga Superiorem, remotum vero & generalem finem esse salutem publicam. Illustrari hoc inde potest, quod singulorum regalium exercitio scopus aliquis propositus sit specialis & propinquus. Ita justà belli gestione proximè intenditur aut periculi hostilis propulsio, aut rei ablatae vel existimationis per injuriam diminutæ recuperatio atque salvatio. Pax inquit, ut cessent belli tumultus & incommoditates inde provenientes. Magistratus creantur ad leges custodiendas coercendosque subditos malè morigeros. Hæc autem omnia tendunt ad communem istum finem, nimirum salutem ac tranquillitatem Reip. Ita de reliquis quoque Majestatis juribus simile judicium esto. Tandem & hoc tenendum quod ex superioribus fluit, debitum scilicet illud, quod leges à civibus exigunt, & ipsius Relationis finem proximum, & subditorum quoque proprium esse atque Relationi minimè convenire. Et hoc probabitur sequentibus. Sicut enim summus imperans propterea reip. à Deo præficitur, ut sit sollicitus de his quæ ad *εὐταξίαν* & *εὐδαιμονίαν* civium spectent, indeque resp. utrinque reddatur beata; ita jura quoque illa, quæ Majestatem constituunt in ipsum
in simul

in simul collata fuere, ut eorum exercitio isti beatitudini civili ille eat consultum. Cum etiam singulae coetus perfectissimi partes salvae esse aut plane non aut brevi temporis momento possint; nisi publica omnium salus facta tecta habeatur, quae deinceps in singulos redundet; haec autem ita se habere non possit, nisi una cum capite membra quoque eidem procurandae operam dent: hinc singuli civitatis socii, si salvi esse debeant, nihil ejus intermittant oportet, per quod salus publica tanquam finis omnium communis promoveatur. Atque ideo necessitas hujus finis legum in repub. constitutionem praecipit, quod subditis, cum primis vero plebejis aut non innotescat, quid ex usu sit reipub. aut si vel maxime id illi intelligant, tamen ob innatam homini pravitatem sponte facere detrectent, sic necesse sit, ut accedat vis quaedam obligandi civilis. Id vero omne ad ipsum Principem aptari haud poterit, cum & ipse optime sentiat ac sentire debeat, quid publice conducatur & actus illos lubentissime exerceat, quibus communi saluti queat consultum ire, quia salvis cunctis civibus & ipse maxime omnium salvus constituitur. Quin imo cum nulli magis quam Principi salutis communis procuratio a Deo sit injuncta; Sic res esset incongrua, si legibus ille suis civilibus hoc sibi vellet quasi praecipere ad quod tamen ante illarum constitutionem longe arctius est obstrictus. Accedit porro, quod plerique actuum, quibus a Principe beatitati communi consulitur, tales non sint, quorum exercendorum capaces existere possint subditi; & e contrario multae horum actiones ad salutem publicam tendentes, quae majestati imperantis adeo non conveniant: unde non video, quomodo leges civiles & imperantem & parentes

C simul

simul obligare queant ex intentione Dei, cum omnes actus, de quibus istæ disponunt, in utrosque cadere non possint.

Et hæc quidem de vi LL. civilium directiva. Hinc itaque sponte fluit, principem multò minus obligatum esse legibus civilibus quoad ipsarum vim coactivam. Hæc enim illam supponit. Nemo enim leges transgreditur, nisi cui illæ fuere præscriptæ, ubi autem nulla transgressio, ibi neque pœnæ meritum, neque ejus inflictio locum habere poterit. Accedit, quod si vel maxime Princeps leges à se latas verè transgredi sicque civiliter injustus dici posset, quod tamen fieri nequit, nihilominus liber esset à vi legum coactiva, cum seipso superior, qui principium coactionis & pœnæ auctor esset, in Repub. non existat.

Addi hoc loco etiam illud potest, quod Princeps leges à se latas mutandi potestatem habeat. Id quod tum iis rationibus, quas supra de mutatione legum ab Antecessore latarum attuli, hûc accommodandis, tum etiam aliis demonstrari poterit. Sicut enim in eo consistit formalis differentia inter jus naturale & positivum, quod illud pro ratione formali habeat, quod sit dictatum rectæ rationis de eo quod suâ naturâ, honestum vel turpe est; in hoc (positivo) verò pro forma sit necessitas quædam, quatenus hæc à voluntate alterius dependet: ita quoque juris positivi humani civilis ratio formalis est, quod hoc vim suam obligandi ab arbitrio Latoris civilis sortiatur. Hinc illud sequitur, quamdiu Princeps vult leges à se latas valere, & sic has essentiam suam, quæ à voluntate illius dependet, retinere, tamdiu quoque harum vis obligandi sicut antè, ita imposterum in Subditos se exeret. Simulatque verò ille contraria voluntate essentialem formam his detrahet,
tunc

tunc utique tanquam leges amplius non valebunt, quoniam sublata forma rei tollitur res ipsa, quæ per illam talis erat ac dici poterat. Liberum autem Principi illud esse dubium non est, aliàs enim leges civiles non dependerent à mero Latoris arbitrio, sed à tali ipsius voluntate, cui conjuncta esset quædam necessitas, quæ tamen in quolibet jure voluntario qua tali meritò exulat. Consentientem quoque habemus H. Grotium de J. B. & P. Lib. II. c. XX. §. 24. n. 1. ubi dicit: *legis humana natura est, ut à voluntate humana pendeat non in origine tantùm sed & in duratione.*

Confirmant quoque nostram assertionem de Principe legibus Solutis, cum primis verò de Romanis Imperatoribus, quod nulla lex civilis eos strinxerit, textus è Jure civili complures, è quibus instar omnium esse potest ille, qui continetur in L. 31. ff. de Legibus, ibi enim Ulpianus ait: *Princeps legibus solutus est.* Quæ verba cum generalia sint ac proinde de omnibus legibus civilibus intelligenda, restringi minime debent ad citatæ legis inscriptionem, quæ hæc est: *idem Lib. 13. ad Legem Juliam & Papiam;* Sicut pluribus docet Unger. p. m. 61. Exercitiorum Justinianeorum II. quæst. V. Illud ipsum quoque haud obscure innuunt prima legum cunabula, in §. ult. quib. modis testam. infirm. ubi Divi Severus & Antoninus Imperatores ita sæpissime rescripisse dicuntur: *Licet enim legibus soluti simus, attamen legibus vivimus,* quod posterius cur fecerint tradetur infra. Sic etiam scribit Dio libro historiae suæ quinquagesimo tertio. *Id sibi usurpaverunt (Imperatores Romani) quod antè civium Romanorum datum est nemini, ut soluti legibus esse dicantur; hoc est, omni legis necessitate liberati nec iis quæ scripta sunt, subjecti.* Quam à legibus civilibus solutionem Autores lege Regia ipsis concessam

cessam esse sentiunt, quæ etiam Lex Imperii vocatur in L. 3. C. d. Testam. ibi. *Licet Lex Imperii solennibus Jaris Imperatorem solverit &c.* Sed ut hoc caput de libetatione à civili obligatione dictæ legi regie infereretur necesse non fuisse, fatetur Arnoldus Vinnius in annotatis ad cit. §. ult. I. quib. mod. testam. infirm. cum Princeps qui Jura majestatis habet nihil supra secernere possit in terris, neque hominem, neque legem, ut idem ibidem loquitur, idque clarum ac magis perspicuum reddunt suprâ dicta. Summam autem in repub. romana potestatem per dictam Legem Regiam Imperatoribus Romanis concessam fuisse probatur ex L. 1. ff. d. Constit. Princip. ubi hæc verba leguntur: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem: utpote cum lege regia, quæ de Imperio ejus lata est populus ei & in eum omne suum imperium & Potestatem conferat.* Illa autem in Principem à Populo facta Imperii summi collatio ita intelligenda est, quod scilicet Populus, romanâ Repub. in statu democratico seu populari antè constitutâ, summæ potestati renunciando unum aliquod certum subjectum elegerit, in quod illam à Deo supremarum potestatum solo Auctore conferri voluit. Id quod tum superioribus assertis, tum autoritate ipsius Juris romani abunde poterit demonstrari ac confirmari. Ita enim de se ipso loquitur Imperator Justinianus in L. 1. C. de veteri jure enucleando: *Deo auctore nostrum gubernante imperium quod nobis à cælesti majestate traditum est, & bella feliciter peragimus & pacem decoramus, & statum reip. sustentamus.* Idem quoque asserit gloriosissimus Imperator in Novella LXXIII. in præfatione §. 1. *Quia igitur Imperium propterea Deus de cælo constituit, ut difficilibus imponat quæ apud eum sunt bona, & leges aptet secundum nature*

nature

naturæ varietatem: Propterea existimavimus oportere & hanc scribere sanctionem, & dare in commune subjectis, quos nobis Deus & prius tradidit & paulatim semper adjiciet. Nec minus in Novell. VI. in princ. Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei à superua collata clementia SACERDOTIUM ET IMPERIUM: & illud quidem divinis ministrans: hoc autem humanis presidens ac diligentiam exhibens: ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam. Omnibus & supra & jam traditis adstipulatur insuper Novella CV. cap. II. in fine ibi. Omnibus autem à nobis dictis Imperatoris excipiatur fortuna: CUI ET IPSAS DEUS LEGES SUBJECIT, LEGEM ANIMATAM EUM MITTENS HOMINIBUS. Quibus verbis tum Imperatoris à solo Deo dependentia, tum ejus liberatio a vi legum civilium ostenditur.

Neque huic asserto, Principem Legibus solutum esse, quod è jure civili deduxi, ullo modo obstabit L. 4. C. de Legibus; id eò quod dubii non nihil continere videntur quæ ibi leguntur verba: *Digna vox est majestate regnantis; legibus alligatum se Principem profiteri.* Hisce enim verbis Theodosius & Valentinianus Imperatores nihil aliud indicare voluerunt, quàm quod legibus quantumvis soluti, attamen majestatico splendore indignum nihil faciant, si legibus quibusdam civilibus sponte se submittant, iisdemque se illigatos, quod tamen ex necessitate juris ita non esset, saltem confiteantur, idque facerent commoti rationibus, quas infra tangendi dabitur occasio. Eundem etiam legis istius sensum apertè commonstrat supra allegata l. 3. C. d. Testamentis ibi enim dicitur: *Licet Lex Imperii solennibus Juris Imperatorem solverit: nihil*

C 3

tamen

Handwritten notes in the right margin:
e. s. f. h. m. c. h.
b. m. w. d. m. l.
210

tamen tam proprium imperii est quam legibus vivere.
 Idem quoque iudicium esse poterit de Lege 23. ff. de Legat.
 III. ubi Paulus Jctus ita loquitur: *Decet enim tanta Ma-*
jestati eas servare leges quibus ipse (Imperator) solutus esse
videtur. Neque etiam veritatem posterioris asserti in tex-
 tu hoc quis in dubium vocare poterit ob vocabulum *vide-*
tur. Nam Juris Romani conditoribus solenne fuit hoc
 vocabulum usurpare pro ipsa rei veritate, prout illud ex
 pluribus Juris roman. textibus manifestum reddere in pro-
 clivi est. Sic enim dicitur in L. 1. §. 12. ff. de vi & vi arma-
 ta: *Dejecisse autem etiam is VIDETUR, qui mandavit &*
jussit, ut aliquis deiceretur: parvi enim referre VISUM
EST, suis manibus quis dejiciat, an verò per alium.
Quare & si familia mea ex voluntate mea dejecerit ego
VIDEOR dejecisse. Apparet id quoque ex l. 1. §. ult. ad
 SCT. Tullianum, nec non ex L. 6. §. 2. ibidem. Ex
 quibus Legibus apertissimè constat, per vocabulum *vide-*
tur certitudinem ac veritatem indicari. Plura quæ ob-
 stare atque contraria nobis esse videantur jam allegare nec
 vacat, nec lubet, cum eadem vel simili ratione reliqua
 omnia facilè resolvi atque expediri queant.

Deniq; deinvictissimo Imperatore nostro Romano-
 Germanico, ut & de Principibus & reliquis Imperii statibus
 aliquid erit addendum, an & in quantum illi legibus civili-
 bus sint soluti. Equidem leges quod attinet Imperii univer-
 sales cum illarum ferendarum potestas Imperatori una cum
 Statibus competat, ideoque etiam *Recessus Imperii Reichs-*
Abschiede vocentur, quod à toto Imperio constituentur,
 hinc meritò concludendum, Imperatorem separatim, ac
 Status seorsim ab eorundem obligatione liberos minimè
 dicendos. Nam eodem modo æstimanda est exemptio a
 legibus

l. 3. v. 2. §. 4. v. 3.
 J. de her. qual. et
 diff.

legibus civilibus, quo illæ ab autoribus suis dependent. Hinc quoniam potestas Imperatoris nostri gloriosissimi legislatoria est restricta ad vota Statuum necessario adhibenda; ideoque & illius & horum simul facultas erit legibus istis sese eximendi æque ac easdem mutandi. Quoniam verò Principibus imperii & reliquis Statibus tum reliqua regalia, tum illud circa leges condendas per feudalem investituram tributum est; unde etiam illos ab iisdem quæ civiles leges sunt esse solutos omnino erit statuendum.

Quandoquidem satis jam puto demonstratam atque auctoritatibus non contemnendis confirmatam esse nostri asserti veritatem; hinc inutile non duxi aut supervacaneum fore, si progressum facerem ad specialia, casum scilicet unum vel alterum in istam rem facientem superioribus annectendo atque paucissimis resolvendo. Quod si verò primo loco pristinam Reipub. romanæ faciem & statum illum personarum mente respiciam atque ex antiquitate juris exemplum aliquod ad præsens argumentum faciens depromam, spero rem fore non injucundam. Erat nimirum unus non ex ultimis quibus manumissio procedebat modis ille, qui in sacrosanctis Ecclesiis fieri consueverat, testibus populo & sacrorum Antistite, hoc insimul ejus rei signatore existente, interposita nimirum vice actorum qualicunque scriptura in memoriam facti, prout hæc manumittendi ratio traditur in §. i. Inst. de Libertin. in toto titulo Cod. de his qui in Eccles. manumitt. Huic proxima est per vindictam quæ fiebat manumissio. Procedere hæc ita solebat: jussu atque auctoritate Magistratûs virgulam quandam manumittendi capiti imponebat licitor, & dominus aliquod membrum v. g. brachium servi tenens hæc verba dicebat: *hunc hominem liberum esse volo.* Illam
autem

autem manumissionem fieri debuisse apud Consules, Prætores, Præfules, Præsides aliosve Magistratûs constat ex L. ult. C. de vindict. libertat. Quæ tamen pro tribunali non præcisè fieri debebat per L. 7. D. de manumiss. vindict. & arg. §. 2. Inst. de Libertin. neque etiam licitoris præsentia semper requirebatur L. 8. D. dict. Tit. Interim tamen actus iste reliquis juris solennibus non debebat esse destitutus. Unde quæritur, num Imperator sine vindicta recte manumiserit? Et quidem huic rei sufficere putarem, si saltem provocaverim ad superiora, quæ Principem legibus civilibus in genere exemptum esse probaverunt; sed placet jam specialiori insuper disquisitione huic negotio satisfacere. Adest namque expressus textus in L. 14. C. de manumiss. ubi in §. 1. verba ita se habent: *Imperator cum servum manumittit, non vindictam imponit, sed cum voluit, fit liber is qui manumittitur ex lege Augusti.* Ibi non solum aperte asseritur, sine vindictæ solennitate fieri posse manumissionem Imperatoris, verum etiam illis verbis: *sed cum voluit fit liber is qui manumittitur*; tacitè innuitur, nec ad reliquos manumittendi modos observandos, illum fuisse adstrictum.

Porro tractari hoc loco etiam illa quæstio potest, an Princeps, qui creditor vel debitor pupilli existit, Tutor esse possit, vel Tutelam in se suscipiendo creditum saltem amittere debeat? Certissimi quidem juris est eum, qui debitor pupilli aut minoris est, vel cui hi tenentur, & ille initio id tacuit, tum creditum amittere, tum etiam utroque casu à tutela nonnunquam removeri avth. minoris C. qui dare Tutor. vel Curator. poss. & Nov. LXVII. cap. 4. & 5. Idque introductum esse videtur in favorem & commodum eorum, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis.

reguntur. Sicut enim ille, qui tutoris vel curatoris nomine bona alterius administrat, non solum à debitoribus pupilli vel adulti pecuniam exigere L. 46. §. fin. D. de administr. & peric. Tutor. illos in iudicium vocare L. 1. §. 4. D. eod. & solutionem ab illis accipere L. 25. C. de administr. Tutor. vel Curat. sed etiam nomine pupilli aut minoris contrahere L. 16. D. dict. tit. & præterea pro his iudicium suscipere potest ac debet L. 1. §. 2. eod. ita etiam non solum omnia pupilli aut minoris bona, sed etiam omnis generis instrumenta seu documenta literaria in custodiam suam recipit. arg. L. 24. C. sæpe cit. tit. Quoniam autem facile fieri potest, ut Tutor, si creditor fuerit pupilli, adversus hunc machinationibus dolosis utatur, apochas seu quietantias ratione factæ sibi solutionis traditas supprimendo, ita ut postmodum desit, quo cum contraheretur debiti exactionem pupillus se munire queat; hinc etiam romani Latores teneræ ætatis ac imperfectioris iudicii hominibus isthoc juris medio ibant perspectum. Quod si verò Tutor vel Curator impuberis aut minorennis debitor existat, tunc itidem, imò multò magis metuendum est, ne ille chirographa, vel alia instrumenta contra se probantia huic subducatur sicque hic ex postfacto defectu liquidationis sui crediti causâ suâ cadat atque istius locupletatione dolosa damnum incurrat. Quamvis autem ille, qui eo tempore, quo tutelæ gestionem suscipit, creditor aut debitor pupilli est, caducitati debiti vel etiam remotioni à tutela non semper sit obnoxius, ideò quod hæc juris sanctio suas habeat exceptiones, quas hic attingere ad rem nihil aut parùm facit; nihilominus tamen de eo jam mihi sermo est, quod Princeps Tutor, qui pupillo credit vel debet, nullo planè modo isto juris præscripto te-

D

neatur

neatur aut teneri debeat ex ulla ratione. Principali enim dignitate qui pollet non præsumitur retr. gerere dolosè ac fraudulenter. Virtute namque hinc elucescere quàm maximè debet, ne macula inuratur suæ existimationi, quæ cum ad finem imperantium politicum obtinendum multum faciat, facta tecta semper necesse erit servetur. Quinimo ad malitiosas locupletationes Principem allici tantò minus conjecturare de eo licet, quantò magis ipsi vi imperii summi collectarum indictio atq; exactio competit, quibus illustris sua conditio ac familiæ splendor conservari possit. Ad Principes atque alios Statûs imperii nostri idem extendi inter alios testatur atque confirmat Dn. Carpz. Decis. CXIX. n. 26. 27. annexo in fine præjudicio.

Similiter quæritur, an donatio quingentos solidos excedens à Principe facta sine insinuatione valeat? Notissimum est ex jure civili, quod, si quis adeo amplam pretii summam ex liberalitate in aliquem transferat, necessarium sit, ut hujuscemodi donatio inter vivos, si excedat quingentos solidos (quibus hodiè respondere 500. aureos ungaricos testatur Dn. Richter decis. 21. n. 59.) judicialiter insinuetur seu in acta publica redigatur, si firmitatem illa suam habere debeat, sicuti constat ex L. 36. §. 3. C. de donat, alioqui valida illa non est, nisi tantum ad summam usque excedentem. L. 34. §. 1. dict. tit. & Nov. CLXII. cap. 1. §. 2. ubi hujus posterioris asserti veritas unà cum sua juris ratione continetur in hisce verbis: *Si verò minimè insinuatae (donationes) manserint, excrescerint autem mensuram indigentem insinuatione, usque ad tantum duntaxat ipsas valere, usque ad quantum & non insinuatæ donationes validas esse à nobis constitutum est. Hoc enim in extremo constituentes obtinere idem volumus, & non propter*

pter adjectionem quantitatis excidere & id quod rectè se
habere poterat. Neque etiam tunc acta deponi ac monu-
mentorum observationem certum est, si diverso tempo-
re in unam personam factæ sint donationes, quarum con-
junctim quidem computata summa, non autem singula-
rum quantitates legitimum excedunt donationis modum,
uti hoc colligitur ex cit. L. 34. §. pen. Illa autem in dona-
tione dictam quantitatem excedente requisita insinuatio
judicialis seu interveniens actorum testificatio ratione sua
non caret. Hæc certo respectu assignatur in L. 27. alleg-
tit. *Si quidem* (sunt verba legis) *clandestinis ac dome-*
sticis fraudibus (loquitur lex de donationibus inter
necessarias conjunctasque personas celebratis) *facile quid-*
vis pro negotii opportunitate confici potest vel id, quod verè
gestum est, aboliri. Cum autem *id quod necessariè super*
donationibus apud acta conficiendis jam pridem statuimus,
universos teneat: ut ibidem porrò dicitur; hinc facile li-
cet colligere, eadem vel simili ratione quoad aliarum
quoque personarum donationes insinuandas Llatorem
fuisse commotum. Ast illâ juris sanctione, quæ insinua-
tionem donationis judicialem à subditis exigit, Principem
donatorem expressis verbis exemptum dixit Justinianus Im-
perator in L. 34. C. de donat. Idem quoque ille egregiè
asseruit in L. 26. C. de donat. inter vir. & uxor. ubi hæc le-
guntur: *Donationes quas divus Imperator in piissimam re-*
ginam suam conjugem, vel illa in serenissimum maritum
contulerit, illico valere sancimus & plenissimam habere
firmitatem: utpote imperialibus contractibus legis vicem
obtinentibus, minimeque opitulatione quâdam extrinsecus
egentibus. Quod autem in Augusta idem procedere pos-
sit,

lit, declaratur ex L. 31. ff. de Leg. ibi. *Augusta, licet legibus soluta non sit; Principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipsi habent.* Cum igitur Princeps talis sit præsumendus, qualis esse debet, nimirum veritatis studiosus & candoris amans; sic sanè ipsi parùm conveniret legi isti se submittere, quæ ad suspicionem doli ac fraudis evitanda est constituta, cum tamen ille integerrimus vitæ merito censeretur. vid. Carpz. p. 2. C. 12. def. 16.

Dehinc etiam hoc paucis tractari meretur, an Principis testamentum sine solennitatibus ad ejus firmitatem, de jure aliàs necessariis validum esse ac subsistere possit? Non autem hic forsan intelligi debet tale testamentum, quod minus solenne seu privilegiatum dicitur, & à subditis etiam conditum sine solennibus aliàs requisitis subsistit; sed illud, quod respectu ad personam Principis nullo habito, validitate esset destitutum atque existeret ipso jure nullum omissis scilicet iis, quæ in illo condendo desiderata fuere. Principem itaque solennibus juris cum primis in ultimis voluntatibus, lege imperii solutum fuisse supra est allegatum, & quidem optimo jure ac merito illud fieri debuit ac potuit. Nam numerus testium jure civili præscriptus non tam probationis causa adhibetur, sic etenim duo sufficerent. L. 12. D. de Testib. quàm ut actus testandi solennior sit ac præter gesti testimonia certo ritu non destituatur. Quandoquidem Princeps seu Imperator solennitates juris ex persona propria non tantùm supplere, sed ob Majestaticam eminentiam etiam superare viderur: Sic sanè Principe indignum nihil facit, neque etiam ullius sub ista re versatur præjudicium, si jura ista solennitates testamentorum subditis præcipientia ille minimè observet, facit hoc potius ad splendorem Majestatis magis stabilien-

bilendum, si subditis ostendat, quod sicut imperiales contractus legis vicem obtinentes minimè opitulatione quâdam extrinsecus egeant, uti hoc asseritur in suprâ alleg. L. 26. C. de donat. inter vir. & uxor. ita nec ultimæ voluntates. Eodem quoque privilegio Duces atque alios status imperii nostri Romano-Germanici uti, tradit Nicol. Myler ab **Chrenbach** Libr. de Principibus & Statibus imperij part. I. cap. XXVI. n. 4. Verùm communis sententia est, à Ducibus & Statibus Imperii in testamentis condendis modum in sanctionibus imperii de A. 1512. observandum esse, cum hîc agatur de remagni momenti, & ejusmodi testator non consideretur ratione superioritatis territorialis sibi aliàs in suos competentis subditos, sed ut subjectus imperatoris ac imperii. vid. Rosenthal. de feud. cap. 12. concl. 10. num. 16. Fritsch. Exercit. Jur. Publ. 8. Atque secundùm hanc doctrinam in ardua quadam causa respondit Facultas Juridica in Academia Coloniensi An. 1674. Eadem quæstio occurrit de confirmatione Tutoris Ducis, cui impuberis tutela testamento delata, de qua consulas Magnif. Dn. Præs. Observat. Feudal. ad cap. 10. Syntagm. num. 3.

Quantumvis autem Principem legibus suis civilibus quoad vim omnem solutum esse satis abundeque fuerit demonstratum; nihilo tamen secius si non omnibus, saltem quibusdam illum se submittere iisdemque paria facere ex motu aliquo tum naturalibus tum præcipuè politicis fundato rationibus jam indicabitur. Ut itaque de eo, quod duce natura rationali summi imperantes nonnunquam commoveri soleant ad legum suarum observationem, faciam primordium, illud hîc non referendum volo, quod plerique illorum actuum, quos jus civile præcipit aut

prohibet, suam quoque secum importent obligationem vel commissionis vel omissionis ex p[ro]p[ri]o jure naturæ resultantem; quoniam illis, ut supra dictum, obstricti illi sunt tanquam homines, qui hunc respectum simul retinent, in quocunque etiam statu atque conditione sint constituti, sive in societate perfectissima, sive extra illam degant. Sed de eo jam loquor, quod Princeps interdum legem condat unam vel alteram de illis actibus, qui in se quidem & simpliciter considerati committi vel omitti licitè possunt, sicque moraliter indifferentes sunt. Ponamus autem eorum exercitio periculum ac detrimentum in rep. exinde emergere posse; Tunc certè ejusmodi legi paria ille facit non ex obligatione civili, quæ ex parte ipsius nulla adest, neque ex obligatione à jure naturæ absolutè ac proximè ortà, sed tali commotus ratione, quæ sub certa quadam hypothese & facta insuper ex principiis moralibus quâdam deductione, in jure naturæ est fundata. Exemplis res fiet clarior. Edictum aliquod jussu Principis promulgatur de non facienda tempore pestis peregrinatione in locum aliquem contagiosum ac peste infectum. Hujusmodi igitur lege civili prohibita actio in se & sua naturâ non est turpis. Neque enim obstat ista dubitandi ratio, quod sanitatem ac vitam periculo offerre sit transgredi debitum naturalis probitatis seu conservationis ac perfectionis sui. Nam animo periculum evadendi facta in illo loco negotiatio licita in turpitudinem moralem imputari nequit ibidem negotianti. Omne enim illud, quod cum periculo mortis potest esse conjunctum naturali jure prohiberi minimè dixerim, cum id, quod ex accidenti fieri solet, pravam ac malitiosam voluntatem non inducat ei, quem bona fiducia sua negotia gerentem casus & fortuna latent. Ast hoc modo

modo peregre abeundo ac redeundo salutem totius populi periculo exponere pugnat cum illo societatis debito, quod ex parte summi imperantis arduum & magni momenti esse alibi jam dixi. Hinc positis his circumstantiis & instituto hoc rationis discursu, mediante necessariâ demum consequentiâ morali clucet ratio naturalis ad legem istam observandam ipsum movens Llatorem, ne scilicet per illum actum legi contrarium salus omnium periclitetur. Aliud exemplum hoc esto. Lex quâdam tempore caritatis annonæ lata est de frumento in dissita non exportando territoria, neque etiam vendendo alienigenis seu extraneis. Princeps infinitam frumenti copiam forsan cumulari & passim coacervari jussit. Itaque actus legi aliàs adversos nequicquam per suos dispensatores ille exercebit, in quantum scilicet illorum omissio non quidem jure civili ipsi necessariò injungitur, neque etiam illi directò ac proximè adversantur juri naturæ, sed remotè atque indirectè seu consequenter, quatenus nimirum per illos magna inter cives contractâ penuriâ ingens in repub. deinceps suboritur detrimentum, ad quod tamen avertendum Llator cum primis in conscientia suâ est obligatus.

Jam accedo ad illa ultronæ suis legibus factæ submissionis incitamenta, quibus in ipsâ ratione status politici sua posita sunt fundamenta. Dum enim Princeps sponte se subjicit ei, quod legum suarum præscripta à subditis aliàs exigunt mediante vi quâdam obligante; sic non solum legibus, sed & sibimetipfi per illas, utpote earum præstantiori valore sui tanquam Autoris eminentiam eò magis indicans, majorem conciliabit auctoritatem. Hoc ipsum egregie indigitant verba illa, quæ in suprâ allegatâ Leg. 4. C. de Leg. habentur.

Cum

Cum enim inibi laudati Imperatores ita rescripserunt: *Digna vox est Magestate regnantis. legibus alligatum se Principem profiteri*; hinc porrò rationes, cur istud faciant, subjiciunt: *adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas*; quæ verba sensum hunc habere videntur, quod, dum illi juri conformiter vivendo, majorem eidem tribuunt auctoritatem sibimetipsis per illud tanquam excellentiorem suum effectum plus quoque auctoritatis concilient apud subditos, & ab his illa magis agnoscat, non autem quod ante jus conditum nulla ipsorum fuerit auctoritas, hæc enim unà cum potestate majesticâ fundamentum ac firmamentum est legum civilium. Pergunt illi in dictâ lege: *Et revera majus imperio est, submittere legibus principatum* Major quippe stimulatio ad obsequium erit subditis, si aliquid divini legibus inesse crediderint, eò quod & ipsi Principi illis se subducere religio sit, quàm si vel maxima imperandi severitas easdem comitetur. Præterea non parùm ad rem facit, quod alioquin hoc, si Princeps legibus contraria semper & ubique atque in omni negotiorum genere exerceret, cum primis si aliquod hujus vel illius subditi præjudicium sub istis versaretur, haud dubiè conjunctum esset cum quâdam subditorum invidiâ. Hæc autem quoniam haud rarò fundamentum & causa odii atque præfidia existit, quantum detrimenti in repub. pareret, nemo non facilè perspicit.

Hinc etiam est, quod Imperatores Rom. sponte se submiserint isti legi, quæ est de inofficioso testamento contra hæredem institutum, si hic etiam ipse Imperator sit, rescindendo ac de restituenda legitimo successoris hæreditate. Sic enim dicitur in L. 8. §. 2. ff. de inoff. Testam. Si Imperator sit hæres institutus, posse inofficiosum dici testamentum

tum sapissime rescriptum est. Ratio etiam in promptu est, quoniam ceteroquin hoc invidiosum esset, hæredes legitimos jure suo cadere debere cum locupletatione Principis. Aliud quoque exemplum occurrit in L. 23. de Legat. III. ubi hæc verba habentur: Ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa Imperatorem vindicare in verendum est. Nimirum Romanum Principem abstinere potius debere ab illis bonis, quæ ob defectum juris requisitorum ac solennitatum testamento ipso jure nullo existente, ad hæredes aliàs ab intestato spectent; quàm eorundem apprehensione horum in se derivare odium atq; invidiam. Huc quoque pertinet L. 7. C. Qui testam: facere poss. ib. Cum hæredes instituuntur imperator seu Augusta, jus commune cum cæteris habeant. Nec minus L. 3. C. de Testam. ubi itidem dicitur: Ex imperfecto testamento nec Imperatorem hæreditatem vindicare posse, sæpe constitutum est. Denique etiam Legi Falcidiæ adversus Principem Legatarium locum esse debere, Imp. Alexander rescripsit A. Philatiano, uti constat ex L. 4. C. ad L. Falcid. Hæc itaq; omnia in dicta ratione politicâ sunt fundata. Tandem & hoc accedit, quod Princeps subditorum sibi conciliet amorem ac benevolentiam eò majorem, dum scilicet illud ultro in se suscipit præstandum idque in favorem & commodum civium subjectorum, à quo tamen propter majestatis eminentiam liber videri posset.

SOLI DEO GLORIA.

E

Ut

UT non solvantur leges, dat lege solutus
Princeps, isque simul liber & ipse ligans.
Quid legum Studiose magis sub Præside tractes,
Orbi quem memorat, Principibusque Themis.
Per solvat Legum studium Tibi præmia justa,
Nec labor in cassum disque solutus erit.

*Eximio & clare docto DNO Respondenti,
Auditori quondam meo sedulo ac singu-
lariter æstimato, prosperos successus gra-
tulans adprecansque facieb.*

VALENTINUS Veltchem/ SS.Theol.D.P.P.

Fac. Theol. Dec. & Acad. h.t.

RECTOR.

HERTELIUS duros equâ fert mente labores;
Quæis aptat studiis clara brabea suis.
Ut studia hæc placeant Magnatibus atque Patronis,
Sintque Tibi laudi, comprecor & doveo.

*Conatibus egregiis Nob. Dn. Hertelii Agnati
dilectissimi, leto sic applaudebat
animò*

Augustinus Henr. Faschius, D.
Prof. Publ.

PRincipibus quantum licitum est Hertelius aptè
Monstrat: queis charus præmia digna feret.

*Boni ominis ergo Clarissimo Dn. Respondenti
Fanti & Amico suo honoratissimo
apposuit*

**Joh. Christoph. Hartung/
Phil. & J. U. D.**

Madri-

MS (11) 50
Madrigale.

Saper scherzar,
e soggiogar,
CESAR ben seppe con Romane Leggi.
Libertà fà ch' un PRENCE Signoreggi;
mà per Ligar i Cuori
non adopra rigori.
dolci fiori
cari amori
portan gli Tuoi possenti
(ò HERTEL) Argomenti!
Vattene pur nel Mondo,
quì Tuoi sudori mostra,
quei T' apriran la porta
d' un Giardino giocondo,
oue Muse da banda
Ti tesson la Ghirlanda.

Così scrisse
chi gli visse

l' humilissimo
Carlamaton Tornese
Italiano.

Madrigal.

Als feurig ist / schickt seiner Flammen Macht
Stets in die Höh / zu dem gestirnten Heer;
Wer

Wer Adlers Art / verlachet und veracht
 Was nach der Erden schmeckt / er liebet nichts so sehr /
 Als Titans schönen Schein.
 Ich / werther Bruder / mag allhier mich nicht er-
 kühnen /

Zu melden / ob dergleichen Eigenschaft
 Die gütige Natur dir eingepflanzt habe /
 Indem du bist gemüht von Sonnen dieser Erden
 Zu reden / und wie nichts umschrencke ihre Kraft :
 Ich mögte sonst von Haus aus Zeuge werden.
 Doch setz ich diß hinzu :
 Dieweil die erste Frucht hat reiff zu seyn geschienen /
 Muß (ohne Ruhm) nicht schlimm der Stamm der
 selben seyn.

Dieses sagte glückwünschend
 dein Bruder

G. H. H.



00 A 6378

ULB Halle 3
002 916 576



Vol 17 Vol 18



L
me
K



7. 9

PRINCEPS LEGIBUS SOLUTUS,

in
DISSERTATIONE ACADEMICA
SISTITUR

Quem
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ADAMI *Strubeni*

Jcti Consummatissimi,
Serenissimorum DUCVM SAXO-VINARIENSIVM
Consilarii Intimi,

Illustrissimi Regiminis ac Consistorii Saxo-Jenensis
Præsidis Eminentissimi,
Facultatis Juridicæ & Scabinatus Ordinarii meritisimi

VT ET
Curie Provincialis Assessoris Gravissimi,
Dn. Patroni & Promotoris sui, summo obser-
vantia & obsequii cultu atatem prosequendi,

IN INCLYTA SALANA
Ad diem V SEPTEMBR. M DC LXXXV.
publico Eruditorum examini subjiciet
ac defendere conabitur
JOHANNES JACOBUS *Hertel* JENENS.
Autor & Respondens.

JENÆ
Literis NISIANIS.

